

BIBLIOTHECA CENTRAL
H.A.M.L.

REPARATIONE GRATIÆ

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

CONTROVERSIARUM

DE

REPARATIONE GRATIÆ

CONTROVERSIA PRIMA PRINCIPALIS

DE

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

De variis acceptionibus Gratiae.

De gratia et libero arbitrio, Deo juvante, scripturus, ab ipsa gratia merito incipiendum esse video.

Igitur gratia inde nomen accepit, quod gratis datur; gratia, inquit S. Augustinus tractat. in Psal XLIII, *merito nominatur, quia gratis datur*. Opponitur autem debito, dicente Apostolo, ad Rom. IV. *Et autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Et ad Roman. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia, jam non est gratia* (1).

Porro tres sunt in sacris litteris hujus vocabuli notiones, accipitur primum amplissima significatione pro quovis beneficio Dei, sive illud naturale sit, sive naturæ ordinem gradumque transcendat; qua significatione accipitur gratia in illis verbis Sapient. cap. XVI. *Propter hoc et tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratia tua deservebant*. Quo loco gratiam vocat Scriptura illam Dei beniguitatem et providentiam, quæ tantam nutrix, omnia quæ ab ipso Deo creata sunt, conservat et fovet; sic etiam S. Augustinus in Psal. CXLIV. in illud: *Et justitia tua exultabunt*: « Attendamus, inquit, gra-

tiam Dei non solum qua fecit nos, verum etiam quare fecit. Et in Epist. 95 « Quadam inquit, non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, et de hoc tanto beneficio gratias agere debemus. Unde merito et ista gratia dici debet, quia non precedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est. »

Ceterum hæc acceptio gratiæ non multum ad rem nostram facit, neque solent theologi, cum de gratia Dei disputationem adversus hereticos Pelagianos instituunt, gratiæ nomine dona naturalia significare. Pelagiani enim gratiam, hoc primo modo acceptam, non negabant, quin etiam hinc hæreses suas quasi quodam pallio tegere conabantur, cum dicerent, sine Dei gratia nihil nos agere posse; gratia autem nomine liberi arbitrii, atque alia id genus naturalia dona intelligi volebant, ut sanctus Augustinus testis est in libro de gratia Christi, cap. 3. et sequentibus.

Accipitur secundo gratia Dei pro solo illis beneficiis divinis, quæ naturæ superaddita, neque ad rei naturam constituendam, aut conservandam sunt necessaria, neque ex ipsa fluunt, aut ipsi quoquo modo debentur. Intelligimus autem hoc loco gratiam Dei vocari supernaturalia beneficia generalia quædam significatione, ut etiam illa comprehendantur, quæ non ex merito Christi, sed ex sola Dei liberalitate, neque in indignos, et

(1) Rom. IV, 4; Rom. XI, 6. — Sap. XVI, 25.

peccatores, sed in non dignos, et non justos conferuntur, quæque non tam indebita, quam non debita nominanda sunt. Ejusmodi fuisse justitiam originalem, et gratiam gratum facientem primo nostro parenti in creatione collatam, post paulo demonstrabimus. De qua gratia, ut etiam de gratia Angelorum, quæ ad hoc idem genus pertinet, disputat S. Augustinus, cum alibi, tum in libro de correptione et gratia, cap. 10. et 11.

Huc etiam referri potest gratia quam in Christi humanitate fuisse Scripturæ testantur, Psal. XLIV. *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Luc. II. *Gratia Dei erat in illo*, Joan. I. *Plenum gratiæ et veritatis* (1). De qua, sic loquitur S. Augustinus lib. I. de prædestinatione Sanctorum, cap. 43. « Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus: de ipso Spiritu et hic renatus, de quo est ille natus: eodem Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo Spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. » Hæc Augustinus.

Accepitur tertio gratia Dei maxime propria pro solis illis Dei beneficiis, quæ non modo supernaturalia et non debita sunt, sed etiam indignis hominibus ex Christi merito conferuntur, ad Rom. III. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu* (2). Ubi non satis esse creditur Apostolus si diceret: *Justificati gratis*, sed addidit: *Per gratiam ipsius*. Et: *Per Redemptionem, quæ est in Christo*, nimirum ut significaret, justificationem post lapsum Adæ, non solum gratis dari, sed etiam indignis, et peccatoribus dari, qui nisi persequendum Adamum redimerentur, iræ filii, et servi Sathane æterno tempore permanerent.

Idem quoque Beatus Apostolus, cum dixisset ad Roman. VI. *Stipendium peccati mors*, non adjunxit stipendium justitiæ vita æterna, quod antithesis requirere videbatur, et quod sine dubio adjunxisset, si de homine ante lapsum loqueretur, ut sanctus Augustinus disputat in Enchiridio, cap. 106. et 107. sed adjunxit: *Gratia Dei vita æterna*. Tametsi enim, ut loco citato scribit Augustinus, vita æterna certa sit merces operum, eam tamen gratiam appellare maluit sanctus Apostolus, ut intelligeremus, ipsa etiam nostra merita esse Dei munera, neque id solum, quod sine

Dei gratia nulla esse possint liberi arbitrii bona merita, sed quia post illam Adæ ruinam nova quadam et singulari Dei gratia liberandum fuit liberum arbitrium, a captivitate ac servitute peccati.

CAPUT II.

De partitionibus gratiæ.

Jam vero gratiæ secundo, et tertio modo acceptæ, de qua in sequentibus disputationibus multa, Deo juvante, scripturi sumus, multe partitiones sunt. Prima partitio est in gratiam æternam ac temporariam. Gratia æterna est ille amor, quo nos Deus ante mundi constitutionem ab ipsa æternitate dilexit, in cujus gratiæ laudem et gloriam nos a Deo prædestinatos esse atque electos in adoptionem filiorum testatur Apostolus ad Ephes. I: *Prædestinavit, inquit, nos in laudem gloriæ gratiæ suæ* (3). Gratia temporaria dicuntur beneficia vocationis, et justificationis, quæ ex æterna gratia, ut effectus ex causa, derivantur. Nam quos *prædestinavit, hos et vocavit: quos vocavit, hos et justificavit*, ad Roman. VIII (4).

Altera partitio est gratiæ temporariæ in gratiam gratis datam, et gratiam gratum facientem. Quæ partitio non sic accipienda est, quasi aliqua sit gratia non gratis data, sed uni speciei, quod proprio nomine careat, relinquatur nomen generis. Gratia gratis data est donum supernaturale, absque ullo debito, ad aliorum spiritualem salutem præcipue collatum, prima ad Corinth. XII. *Divisiones gratiarum sunt, etc.* (5). Gratia gratum faciens est donum supernaturale absque ullo debito, ad propriam uniuscujusque spiritualem salutem potissimum datum, II ad Corinth. XII. *Sufficit tibi gratia mea* (6).

Supernaturale donum utraque gratia dicitur, quia non consequitur naturam, sed supra naturam conceditur divinitus: idque absque ullo debito, quia neque debetur naturæ, neque cadit sub meritum personæ. Quamvis autem ex gratia gratis data interdum beneficia corporalia consequantur, ut bona valetudo ægrotantis: tamen quia finis ultimus omnis gratiæ gratis datæ, est sanitas animæ sempiterna, ideo ad spirituales salutem eas referri diximus.

Denique addidimus in definitione gratiæ gratis datæ, ad aliorum præcipue salutem, hoc genus gratiæ pertinere, quia licet commune sit gratiæ gratis datæ cum gratia gratum faciente, ut tam propriæ, quam aliene salutis conducant: tamen illud interest, quod gratia gratum faciens datur potissimum ad propriam uniuscujusque salutem, secundario ad aliorum, nimirum, ut nos ipsi primum justis perfectique efficiamur, deinde ceteri videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est.

Contra vero gratia gratis data, alienam salutem spectat præcipue, eorum videlicet, qui prædicatione et miraculis vel ad fidem, vel ad penitentiam pertrahuntur: propriam autem secundario, quia dum per ea dona solerter in proximorum salutem incumbimus, Deum nobis conciliamus atque ab eo audire mereamur: Euge serve bone, et fidelis, etc. Sicut enim Philosophi duo genera virtutum esse volunt, quasdam privatas, et necessarias unicuique ubicumque vivat, ut temperantiam et continentiam, quasdam communes, et necessarias in Republica, propter aliorum societatem, ut justitiam, et liberalitatem: ita etiam Deus in Republica Christiana duo esse voluit genera adjumentorum: privatum, quo quisque fit bonus; et commune, quo indigemus ad aliorum juvandam salutem.

Tertia partitio est gratiæ gratum facientis, in gratiam permanentem, sive habitualement, et gratiam auxilii specialis. Gratia permanentis dicuntur habitus infusi, fidei, spei, charitatis, ac præcipue charitatis, ut paulo post demonstraturi sumus. Gratia auxilii specialis definiri posse videtur his verbis: Est motio Dei qua homo ad operationes, quæ naturam suam aliquo modo superant, adjuvatur. Motio dicitur, ut distingatur ab infusis ac permanentibus qualitatibus; neque enim auxilium speciale est habitus infusus, aut permanens qualitas, sed actio qua Deus hominem movet ad operandum, vel cum eo operatur; non est autem hoc auxilium necessarium ad operationes, quæ vires naturæ non superant, quales sunt intelligere et appetere res humanas, ad hujusmodi enim sufficit auxilium generale; sed necessarium est ad eas operationes, quæ quoquo modo naturæ vires excedunt.

Porro tribus modis operatio aliqua vires naturæ superare potest. Primum simpliciter et absolute, ut si ex genere suo operatio sit ordinis altioris, quam sunt res naturales,

quales sunt actus virtutum Theologicarum, fidei, spei, et charitatis, quæ non acquiruntur per iteratos et frequentatos actus, sed divinitus in animam infunduntur.

Secundo, non simpliciter, sed ratione status peccati; quemadmodum enim homo ægrotus movere non potest ingentem aliquam molem, nisi juvetur ab alio, quam ipse idem, si sanus esset, solus movere potuisset; sic homo per peccatum debilitatus, multa non potest sine auxilio speciali efficere, quæ in statu innocentie, sine tali auxilio, facile effecisset.

Tertio, ratione modi, loci, temporis; personæ, aut alterius cujuslibet circumstantiæ; sæpe enim accidit, ut id, quod neque ex genere suo, neque ratione status, vires nature superat, easdem tamen superet ratione circumstantiæ; ac, ut in exemplo posito perseveremus, poterit homo sanus per se, molem quamdam loco movere, non tamen poterit sine alterius auxilio, si alteram manum tantum adhibere cogatur, aut si loco parum commodo, vel moles, vel ipse sit constitutus: ita poterit homo justus præceptum aliquod Decalogi facile adimplere, si nulla extrinsecus diaboli tentatio accedat; si vero tentatio ejusmodi accedat, sine speciali auxilio id facere non poterit.

Ex his autem facile erit colligere, quid intersit inter auxilium Dei generale, et auxilium speciale: generale siquidem datur ad actus omnes tam bonos, quam malos, nam et in malis actibus id quod materiale et positivum est bonum est, nec fieri nisi Deo cooperante potest; speciale autem non datur nisi ad actus bonos.

Rursus generale auxilium datur a Deo, ut auctore naturæ, ad ea opera, quæ per naturales potentias exerceantur, et ad finem, qui cum natura proportionem habet, referuntur; speciale vero præstatur a Deo, ut gloriæ donatore, ad ea opera, quæ naturæ vires excedunt, et ad finem sempiternæ beatitudinis ordinantur.

Ad hæc generale auxilium, quamvis non sit debitum simpliciter, est tamen debitum aliquo modo ex hypothesi, cum enim Deus res creatas exstare, et operari voluerit, aequum est, ut eis non denegat auxilium, sine quo nec se ipse movere, nec aliquid omnino possent efficere; speciale autem nulla ratione est debitum, sed ex nova quadam et infinita Dei liberalitate donatur, præsertim si loquamur de prima gratia hominem præ-

(1) Psal. XLIV, 3; Joan. I, 14; Luc. II, 40. — (2) Rom. III, 24. — (3) Eph. I, 6. — (4) Rom. VIII, 30. — (5) I Corin. XII, 4; II Corin. XII, 9.

veniente et excitante : quare nomen gratiæ magis proprie convenit auxilio speciali , quam generali , sicut etiam magis proprio habitus fidei , spei et charitatis , quam intelligendi , volendi que facultates , dona gratiæ nominantur .

Quarta partitio est auxilii specialis , in auxilium excitans , et auxilium adjuvans ; ad gratiam auxilii excitantis divini illustrationes , atque inspirationes pertinent , quibus Deus cor nostrum pulsant , ut a somno peccati , vel negligentia in bonis operibus excitetur : ad gratiam auxilii adjuvantis spectat divina cooperatio , directio , ac protectio , quibus juvamus tum ut elegamus tum ut faciamus quod Deus præveniens inspiravit . Apocalypsis cap. III : *Ecce sto ad ostium et pulso , si quis audierit vocem meam , et aperuerit januam , in trabem ad illum etc.* (1) . Hinc est illud in precibus Ecclesiæ : *« Actiones nostras , quæsumus Domine , aspirando præveni , et adjuvando prosequere . »* Et illud sancti Augustini lib. II. de peccatorum meritis et remissione c. 18 : *« Quod ad Deum nos convertimus , nisi ipso excitante et adjuvante non possumus . »* Et illud beati Bernardi in libro de gratia et libero arbitrio : *« Conatus nostri et cassi sunt , si non adjuvantur ; et nulli , si non excitantur . »* Quibus congruit illud Concilii Tridentini sess. 6. c. 6. *« Disponuntur ad justificationem , dum excitati divini gratia , et adjuti , fidem ex auditu concipientes etc. »*

Quinta partitio est auxilii , sive gratiæ in auxilium , sive gratiam sufficientem , et efficacem . Auxilium sufficiens dicitur , quo Deus ita hominem vocat , et excitat , et juvare dirigendo , protegendo , cooperando paratus est , ut re vera possit ille sic excitatus , et vocatus , velle credere , velle converti , velle bonum aliquod facere , tamen re ipsa non velit credere , aut converti , aut bonum illud facere . Auxilium efficax dicitur , quo Deus ita hominem vocat , et excitat , et juvare dirigendo , protegendo , cooperando , paratus est , ut infallibiliter re ipsa velit ille , qui sic excitatur , et vocatur , et re ipsa credat , convertatur , bonum faciat .

Sexta partitio est gratiæ efficacis in operantem , et cooperantem : gratia operans est , quæ facit ut velimus ; cooperans vero , quæ facit ut quod voluerimus , impleamus . Quæ partitio sumpta est ex verbis illi sancti

Augustini libro de gratia et libero arbitrio , cap. 17. *« Ipse ut velimus operatur incipiens , qui volentibus cooperatur perficiens . »* Et infra : *« Sine illo vel operante ut velimus , vel cooperante cum volumus , ad bona pietatis opera nihil valemus . »* De his duabus partitionibus in fine hujus libri plenius disseremus .

Solet adferri alia quedam partitio gratiæ , in prævenientem et subsequentem , cum in Psalm. LVIII. legimus : *Misericordia ejus præveniet me* . Et in Psalm. XXII. *Misericordia tua subsequetur me* (2) . Sed hæc partitio nihil novi continet , sed superiores duntaxat includit ; siquidem gratia excitans dici potest præveniens ; et adjuvans , subsequens , juxta illud : *« Actiones nostras aspirando præveni , et adjuvando prosequere . »* Rursus gratia operans est etiam præveniens ; et cooperans , subsequens : *« Nolentem (inquit , sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 32.) prævenit ut velit , volentem subsequitur , ne frustra velit . »* Et sanctus Gregorius homil. 9. in Ezechielem : *« Nos , inquit , prævenit , ut velimus , et volentes subsequitur , ne inanimiter velimus . »* Denique omnis gratia prior , præveniens dici potest , si comparatur ad posteriorem : *« Prevenit (inquit sanctus Augustinus libro de natura et gratia cap. 32.) ut sanemur , et subsequitur , ut sanati vegetemur ; prævenit ut vocemur , et subsequitur ut glorificemur ; prævenit , ut pie vivamus , et subsequitur , ut cum illo semper vivamus . »*

CAPUT III.

Gratiam gratum facientem esse qualitatem , per modum habitus in homine permanentem .

Ex partitionibus præmissis quedam sunt , quæ non nullas pariant questiones . Ac primum de participatione gratiæ in gratiam habitualem , et gratiam auxilii specialis , duæ sunt questiones : una , siue gratia aliqua habitualis ; altera , utrum ea gratia sit qualitas a charitate distincta .

Quod ad primum attinet , non instituimus hoc loco disputationem de justitia inherente vel imputativa , quam in tractatu de justificatione impii , suo loco pro viribus Deo juvante , tractabimus . Sed solum , an detur

gratia habitualis gratum faciens habentem ; non enim desunt , qui non admittant gratiam gratum facientem , quæ sit habitus , aut certe qualitas per modum habitus in anima permans . Joannes Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini , sess. 6. cap. 7 : *« Falsum , inquit , esse contendo , ullam justitiæ partem in qualitate sitam esse vel habitum , qui nobis resident , sed gratuita acceptione nos esse justos . »* Martinus Kemnitius in Examine Tridentini Concilii , prima parte , pagina 640. editionis anni 1566. in parva forma (de qua editione semper intelligenda sunt citationes paginarum in meis libris) reprehendit Concilium Tridentinum , quod in qualitatibus et virtutibus infusus justificationis gratiam constituerit . Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum , (qui liber , ut alibi etiam monui , multo verius inscriberetur de sexcentis mendaciis Lutherianorum , cum nihil fere continet aliud , nisi apertissima , crassissimaque mendacia) loco sexto , numero secundo , reprehendit Catechismum Concilii Tridentini , quod gratiam gratum facientem esse definit qualitatem divinam in anima inherentem .

Ad hanc sententiam accessit Albertus Pighius , Catholicus aliqui Doctor , sed in nonnullis questionibus ut ante nos Roardus Tapperus , vir doctissimus , annotavit , ex lectione librorum Calvini misere seductus . Sic enim Pighius loquitur in 5. lib. de libero arbitrio : *« Gratia acceptionem variam non ex Scholis : sed ex divinis Scripturis petemus . Quando quidem in illis fere inveniuntur gratiam Dei qualitatem aliquam in creatam animam nostram a Deo , vel eandem cum charitatis habitu , vel distinctam ab eodem . Quæ commentitia universa existimo , nec ex scripturis ullam auctoritatem habere . »* Hæc ille .

At sententia communis Theologorum tum in primum Sentent. distinct. 17. tum in secundum dist. 27. constanter docet , habitum supernaturalem a Deo nobis infundi , quo anima exornetur , et perficiatur , atque adeo justa Deoque grata et accepta reddatur . Quamvis enim Petrus Lombardus in 1. lib. Sentent. dist. 17. charitatem non habitum aliquem , sed ipsum Spiritum sanctum esse dicere videatur , tamen in eodem libro , distinct. 37. docet cum sancto Augustino Spiritum sanctum non solum eos inhabitare , qui cum actu cognoscunt et diligunt , sed

etiam parvulos baptizatos , qui cum actu neque cognoscunt , neque diligunt ; ex quo sequitur , ut crediderit , Spiritum sanctum per habitum aliquem in parvulis habitare .

Idem etiam Petrus in II. lib. Sentent. distinct. 27. docet , gratiam esse virtutem nobis a Deo infusam ; virtutem autem esse bonam animi qualitatem ; quare Joannes Scotus in 1. Sentent. dist. 17. question. 1. artic. 3. recte exponit , ac defendi posse docet , sententiam illam magistri . Quam tamen sanctus Thomas in 2. 2. quest. 23. artic. 2. et ceteri Theologi Magistri sententiam reprehendunt , quasi is negaverit habitum charitatis ; nos utrumque , Deo volente , probabimus , et gratiam in genere , et charitatem in specie esse habitum , sive qualitatem creatam .

Neque vero hæc sententia , quæ habitum infusus defendit , solum Theologorum Scholasticorum , sed etiam Ecclesiæ totius sententia est ; nam exstant duorum Conciliorum generalium de hac re decreta . Concilium enim Viennense sub Clemente V. Pontifice Maximo in Galliis celebratum , ut habemus in Clementina prima de summa Trinitate , et fide Catholica , cum de hac re varie Theologorum circumferrentur opiniones , statuit eam esse recipiendam , quæ assertit infundi in Baptismo tum parvulis , tum adultis habitum gratiæ et virtutum .

Concilium etiam Tridentinum sess. 6. quamvis definire noluerit , sit ne gratia gratum faciens , habitus proprie dictus , an qualitas alia , tamen esse qualitatem permanentem per modum habitus , atque animæ inherenter salis aperte definivisse videtur , cum ait cap. 7. justificationem non esse solum remissionem peccatorum , sed etiam sanctificationem , et renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum . Et cum paulo infra in eodem capite addit , in ipsa justificatione cum remissione peccatorum simul infundi fidem , spem et charitatem eaque animæ inherere . Et cum canone tertio distinguit gratiam justificationis ab actibus fidei , spei , dilectionis et poenitentiae . Et cum canone 11. definit justificationis gratiam non esse tantum externum Dei favorem , sed etiam charitatem in corde diffusam , eique inherentem .

Denique hanc fuisse Tridentini Concilii mentem , præter alios auctores , testatur Catechismus ejusdem Concilii , in tractatu de Sacramento Baptismi , his verbis : *« Est autem gratia , quemadmodum Tridentina*

(1) Apo. III. 20. — (2) Psal. LVIII. 14; Psal. XXII. 6.

Synodus ab omnibus credendum, poena anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum sit remissio, sed divina qualitas in anima inherens, ac veluti splendor quidam et lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiore reddit. « Ac ne quis forte conetur per divinam qualitatem intelligere actionem, non habitum; paulo post idem auctor scribit, per eam qualitatem, quæ in cordibus nostris diffunditur, ad omnia Christianæ pietatis officia nos habiles reddi. Et paulo infra adjungit, ex ea pias honestasque actiones proficisci.

CAPUT IV.

Probatur veritas capite superiore explicata.

Hæc igitur vera et communis apud Orthodoxos sententia probanda est testimoniis Scripturæ et Patrum. Primum igitur eo potissimum testimonio probari mihi videtur, quo eam refellere conatur Calvinus in Antidoto Concilii, loco citato. Scribit enim Calvinus, non posse justitiam esse qualitatem nobis inherentem, sed imputationem solum justitiæ Christi, propter illud Apostoli ad Romanos v: *Per obedientiam unius hominis, justi constituentur multi* (1).

At nos per obedientiam unius Christi justos multos constitui existimamus in eo sensu, ut merito obedientiæ Christi reconcilietur nobis Deus, et ab eo justitia donemur, quæ sit qualitas animæ nostræ infusa, et inherens. Id quod ex antithesi verborum Apostoli manifeste probamus, dixerat enim Beatus Paulus: *Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Et continuo adjecit: *Ita per obedientiam unius hominis, justi constituentur multi.* Constat autem nos non constitui peccatores per imputationem injustitiæ, quæ fuit in Adamo, sed per injustitiam nobis vere inherentem, per modum habitus, quam contraximus ob inobedientiam primi hominis, cujus filii sumus: igitur justi etiam constituimur, si quid Apostoli antithesis valet, non per imputationem justitiæ, quæ est in Christo, sed per justitiam nobis vere inherentem per modum habitus, quæ nobis infunditur ob Christi obedi-

tiam, cujus per lavacrum regenerationis filii efficiuntur.

Secundo, probatur hæc veritas ex verbis illis Domini, Joan. iv: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (2). Fons enim iste Spiritus sanctus est per gratiam inhabitans, sive gratia a Spiritu sancto inhabitante diffusa, ut colligitur, tum ex cap. vii. Joannis, ubi eum Dominus dixisset: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; subjunxit Evangelista: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum* (3). Tum ex Patribus, qui hæc loca communiter exponunt de Spiritu sancto, sive de gratia ejus vivificante, hæc enim duo in idem recidunt, cum Spiritus sanctus non inhabitet, nisi per effectum aliquem creatum, id est, per gratiam et charitatem; neque charitas et gratia sine Spiritu sancto inhabitante esse possit.

Itaque fontem istum aquæ vivæ Cyrillus lib. 2. in Joannem cap. 82. et Theophylactus in cap. 4. Joannis, gratiam Spiritus sancti vocant. Hieronymus in cap. iv. Isaie, et Basilus in Psalm. xlv. Spiritum sanctum esse dicunt. Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 19. et Joannes Chrysostomus homil. 31. in Joannem, modo Spiritum sanctum, modo Spiritus sancti gratiam appellant; neque ab his dissentiunt Augustinus, et alii hujus loci interpretes.

Sed quoniam, ut diximus, in idem recidat, sive Spiritum sanctum, sive gratiam ejus, fontem illum esse dicamus, tamen magis proprie videtur hic locus exponi de ipsa gratia creata, quam de Spiritu sancto creatore. Tum quia Dominus ait: *Fiet in eo fons aquæ*; siquidem fieri ad rem creatam pertinet; tum etiam quia ejusdem sunt generis fons et aqua ex fonte manans, et sancta opera, quæ intelliguntur per aquam ex fonte fluentem, magis conveniunt cum habitu gratiæ, quam cum Spiritu sancto, ut notum est.

Porro dubitari non potest, quin per fontem intelligatur aliquid permanentis et fixum, ac per hoc significetur gratia inherens anime per modum habitus permanentis, unde fluent rivi bonorum operum, qui saliant in vitam æternam; aqua enim tam alte ascendit, quam est altus locus, unde descendit; et quoniam fons iste de cælo descendit, ideo

aquæ ejus ad cælum usque perveniunt, hoc est, merentur opera justa regnum cæleste, quoniam ex gratia cælesti ac divina proveniunt.

Tertio, probatur ex illis Scripturæ testimoniis, quæ significant gratiam diffundi, sive effundi in cordibus, ad Romanos cap. v: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (1). Et ad Tit. iii: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde* (2). Certe enim tunc Spiritus sanctus abunde effunditur, cum abundanter gratia ejus donatur: effusio autem et diffusio gratiæ, sive charitatis in corda hominum, non ad actionem hominis, sed ad donum Dei collatum homini, referri debet. Actiones enim effunduntur ex cordibus: *De corde enim* (ait Dominus Matthæi xv.) *exerunt cogitationes malæ, etc.* (3); non effunduntur aut diffunduntur in corda, neque donum in corde effusum, externus Dei favor proprie dici potest, sed aliquid ipsum cor attingens, purgans et renovans, ut Apostolus loquitur.

Quarto, hæc pertinent etiam illa loca, ubi gratia comparatur pignori, sigillo, unctioni vel semini, rebus videlicet creatis, et permanentibus, ii. ad Corinth. i: *Qui unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et i. Joan. ii: *Uctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Et cap. iii: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ejus manet in eo* (4). Quid enim, queso, est aliud semen Dei in nobis manens, nisi charitas habitualis, ex qua fructus operum honorum nascuntur?

Addamus nunc testimonia veterum, qui tametsi non aperte nominent habitum, vel qualitatem; tamen ita rem describunt, ut parvo negotio possit intelligi, verum esse quod ait concilium Viennense, hanc sententiam testimoniis veterum esse conformem.

S. Dionysius Areopagita cap. 2. part. 1. lib. de Ecclesiastica Hierarchia: « Primus, inquit, ad divina motus, Dei dilectio est. Porro sacræ dilectionis ad divina mandata faciendæ principalis omnino progressus est secretissima illa et ineffabilis operatio, qua divinus in nobis status efficitur; » Quid, queso, divinus status esse potest, nisi divinum quoddam esse nobis collatum.

S. Irenæus lib. v. cap. 6. adversus hære-

ses: « Cum autem, inquit, Spiritus commixtus anima unitur plasmati, propter effusionem Spiritus spiritalis, et perfectus homo factus est. Et hic est qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei. » Et infra sapiens repetit, hominem perfectum tribus constare, corpore, anima, et Spiritu Dei, id est, donis et gratia Spiritus sancti. Et certe vocabula commixtionis et infusionis, et hoc, quod esse quasi partem hominis, rem permanentem demonstrant.

S. Cyprianus in epist. 2. lib. ii. ad Donatum: « Postquam, inquit, undæ genitalis auxilio, superioris ævi labere detersa in expiatum pectus, ac purum desuper se lumen infudit, postquam cælitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit: Scis ipse profecto quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors ista criminum, vita virtutum. » Infusio luminis, et haustus spiritus, et inde renovatio hominis aliquid permanens in homine significat.

S. Basilus in lib. de Spiritu sancto cap. 26. explicans quemadmodum Spiritus sanctus per gratiam hominem inhabitet, sic loquitur: « Sicut cernendi vis est in oculo sano, sic et operatio Spiritus in anima purgata; et quemadmodum ars est in eo qui natus est illam, ita gratia Spiritus i. eo qui recepit, semper quidem præsens, at non perpetuo operans. » Similitudo virtutis cernendi et artis, sine dubio, gratiam per modum habitus inesse animæ ostendunt.

S. Ambrosius lib. vi. Hexamer. cap. 8: « Utrum, inquit, justificatio secundum corpus, an secundum animam tibi conferri videatur, queso respondeas. » Sed dubitare non potes cum justitia, unde justificatio derivata est, mentis tuæ utique, non corporis sit. Pictus es ergo, o homo, et pictus a Domino Deo tuo, bonum habes artificem, atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fucis, sed veritate fulgentem, non cera expressam, sed gratia. » Pictura res est permanens, ac per hoc gratiam permanentem demonstrat.

S. Gregorius Nazianzenus, oratione in sanctum lavacrum ante medium, loquens de effectu gratiæ, quæ confertur in Baptismo: « Novos, inquit, ex veteribus, ac Dei similes efficit absque igne constans, et sine confectione irradians. »

Sanctus Hieronymus præfatione commentariorum in Threnos Hieremiæ, describens

(1) Rom. v, 5. — (2) Joan. iv, 44. — (3) Joan. vii, 38.

(1) Rom. v, 5. — (2) Tit. iii, 5. — (3) Matth. xv, 19. — (4) I. Corin. i, 22; i. Joan. ii, 27; iii, 9.

animam peccatricem: « Nudata, inquit, est domus Dei omnibus ornamentis suis, cunctisque, quæ divinitus consecuta fuerat, spoliata muneribus, remansit deformis ac turpis. » Et in commentar. epist. ad Philemonem extremo: « Cum, inquit, in Spiritu gratia fuerit, totum facit hominem spiritualem, ut et caro spiritui serviat, et anima non vineatur a carne, et redacta simul in substantiam spirituales, adhaerant Domino, quia qui adhaeret Domino, unus spiritus est. »

S. Joannes Chrysostomus hom. 40. in epist. priorem ad Corinth. : « Itaque, inquit, qui crimine, Regis beneficio, absolutus est, inquinatum animum servat; quem abluit Baptisma, non item, sed solis radiis puriorem mentem habet. » Et hom. ad Neophytos, quam citat S. Augustinus lib. 1. contra Julianum, scribit etiam, infantibus per Baptismum conferri sanctitatem et justitiam, quæ sane nisi habitualis esse non potest.

S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis et remissione cap. 9: « Ille, inquit, in quo omnes vivificabuntur, præterquam quod se ad justitiam exemplum imitantibus præbet, dat etiam sui Spiritus occultissimam gratiam, quam etiam latenter infundit et parvulis. » Hic sane negari non potest, quin S. Augustinus de gratia habituali loquatur, quæ et occultissima est, et cujus solius cupaces sunt animi parvulorum. Idem auctor in eodem libro cap. 34. dicit, parvulos per Baptismum converteri ad Deum, cum antea essent aversi, quod intelligi nequit, nisi de conversione habituali, per infusum habitum charitatis.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. iv. commentariorum in Isaiam, orat. 2. explicans illa verba, cap. xlv: *Memento hominem Jacob, et Israel: quia puer meus es tu, formavi te puerum etc.* sic loquitur: « Formatur item in filium Dei, intelligibiliter informatus divinarum legum scientia ad speciem efficiens, quæ excellentem, quæ virtutum ornato in animis hominum inheret, ac insidet, hæc autem pulchritudo intelligi potest spiritualis, formatur etiam voluti in Christo per sancti Spiritus participationem, ad ipsius speciem. Scribit siquidem ad Galatas divinus Paulus: Filii, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Formatur autem in nobis Christus sancto Spiritu nobis divinam quandam formam per sanctificationem et justitiam indente, sic enim in animis nostris

elucet character substantiæ Dei, ac Patris reformante, ut dixi, sancto Spiritu nos per sanctificationem in ipsum. » Hæc ille, qui vix poterat apertius de qualitate divina in mentibus nostris inherente loqui, cum eam et formam appellet, et in animo inherere scribat.

Eusebius Emisenus, sive potius Cæsarius Arelatensis in sermone illo pulcherrimo de corpore Domini, qui inscribitur sermo quintus de Paschate: « Teipsum, inquit, qui jam es renatus, interroga, dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, a salutis via, intrinsecus mortuus, exulabas. Subito initiatus Christi legibus et salutaribus mysteriis innovatus, in corpus Ecclesiæ non videndo, sed credendo transisti, et de filio perditionis adoptivus Dei fieri, occulta puritate meruisti: in mensura visibili permanens major factus es teipso invisibiliter, sine quantitatis augmento, in exteriori nihil additum est, et totum in interiore mutatum est. » Atque hæc ex Patribus hoc loco sufficiant. Addeamus plura cum ventum fuerit ad controversiam de justificatione.

Probatur ultimo hæc eadem veritas rationibus. Prima ratio, ex parte Dei, Deus diligit justos, et odit peccatores, ut Scripturæ passim loquuntur; nulla autem mutatio in ipso Deo cogitari potest: igitur mutatio fit in homine, cum ex non dilecto incipit esse dilectus; quare concedendum est, in homine justo esse pulchritudinem aliquam veram et spirituales, ob quam oculis Dei gratus efficitur, præsertim cum Deus non possit decipi, aut errare, ut diligit injustum pro justo, et deformem pro formoso. Præterea Dei dilectio efficax est, igitur cui Deus vult bonum, continuo ille vere efficitur bonus; nihil enim aliud est diligere, nisi velle bonum, et quidem homines multa bona cupiunt amicis, quæ tamen ipsi conferre non possunt: at Dei voluntas omnipotens et efficacissima est.

Secunda ratio ex parte hominis. Homo ad supernaturalem gloriam conditus, opera supernaturalia operari debet, quibus ad finem illum tendere, ac tandem pervenire queat: sed opera supernaturalia prærequirunt esse supernaturale, sive formam supernaturalem; talia enim sunt opera, qualis est forma, sive essentia, unde opera ipsa procedunt, quod in rebus omnibus certum; igitur dat Deus hominibus, quos justificat, formam supernaturalem, quam habitum

gratiæ nominamus. Et fortasse huc respexit sanctus Petrus, cum ait in epist. posteriore cap. 1. nos effici divinos consortes nature. Certe hæc est ratio S. Dionysii Areopagitæ, quem supra citavimus, is enim apertissime dicit in lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. part. 1. non posse hominem divina operari, nisi divinum quendam statum ante recipiat; quemadmodum nec humana opera facere valeamus, nisi homines simus.

Præterea non est homo justus et sanctus eo tempore solum, quo justa et sancta opera facit, sed etiam dum cessat, dum quiescit, dum dormit: non igitur ab opere, sed ab habitu permanente justus et sanctus dicitur. Ipse etiam Aristoteles in secundo libro de moribus, cap. 4. vidit et docuit, non posse vere et proprie nominari justum, qui aliquod opus justum fecerit, sed qui justitiæ habitum acquisierit.

Tertia ratio ex parte instrumentorum justificationis, quæ sunt celestia Sacramenta. Baptismus non solum homines, qui usum habent rationis, sed etiam infantes, amenes, dormientes quandoque justificat: ac de infantibus quidem supra citavimus Chrysostomum et Augustinum, et possent plurimi alii huc adduci, si opus esset. At in infantibus, et cæteris, qui usu rationis carent, nulla inesse potest justitia actualis; erit igitur habitualis.

Præterea Baptismus non quomodocumque justificat, sed per modum regenerationis, sic enim legitur Joan. iii. : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto etc.* Et ad Titum iii. : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (1). At regenerari non est aliquid agere, sed novam naturam et divinam, ac supernaturalem formam accipere, unde filii Dei nominemur et simus; justitia igitur, quæ per Baptismum acquiritur, non est actualis, sed habitualis, quæ per modum formæ in anima inheret, eamque ad esse quoddam divinum et supernaturale evehat.

Denique Sacramenta saltem ex communi Catholicorum sententia gratiam conferunt et efficiunt, ut instrumenta Dei, non autem efficiunt actualem in nobis justitiam, ut experientia in plurimis non obscure testatur: efficiunt igitur habitalem. His igitur argumentis efficacius, gratiam justificantem esse qualitatem; quemadmodum autem idem probetur de charitate, vide infra cap. 8; ne-

que enim probare necesse est charitatem esse habitum creatum, nisi antea constet gratiam justificantem idem esse cum charitate.

CAPUT V.

Solvantur objectiones.

Adversus ea, quæ capite superiore confirmata sunt, duæ objectiones fieri solent. Prima obiectio sumitur ex verbis S. Augustini, qui de gratia ita loquitur ut videatur velle eam non esse habitum, quo nos utamur, sed potius ipsum Spiritum sanctum, qui nos regat et moveat; nam in lib. iii. Hypognostici, comparat liberum arbitrium nostrum jumento, gratiam Dei sessori, a quo jumentum gubernatur et regitur; et in epist. 106. scribit in operibus gratiæ voluntatem nostram comitem esse, non duem; pedissequam, non præviām.

Respondeo, S. Augustinum loqui de gratia simul creata et increata, id est, de Deo, qui per dona sua creata sedet in nobis, et variis modis nos ducit, regit, moderatur et gubernat, non secus ac sessor jumentum. Quod Apostolus ad Roman. viii. illis verbis admonuit: *Qui Spiritus Dei agitur, hi sunt filii Dei* (2). Hinc autem non tolluntur habitus creati et infusi, sed potius asseruntur et confirmantur: nam Deus per habitus illos habitat in nobis, quod de fide testatur Apostolus, cum ait ad Ephes. iii. : *Christum habitare per fidem in cordibus*. Et de charitate, ad Roman. v. : *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Et S. Joannes in epist. 1. cap. iv. : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (3). Ipse etiam S. Augustinus in epist. 106. citata dicit, Gratiam in nobis augeri et perfici, id quod nisi de gratia creata intelligi nequit: « Gratia, inquit, mereatur augeri, ut aucta mereatur et perfici; comitante, non ducente; pedissequa, non prævia voluntate. »

Et quavis habitibus, qui sunt in nobis, utamur, cum volumus, tamen indigemus præterea divina cooperatione, directione, protectione, sepe etiam nova inspiratione novoque impulsu, et ideo recte sanctus Augustinus dicit, in operibus gratiæ voluntatem

(1) Joan. iii. 3; Tit. iii. 5. — (2) Rom. viii. 14. — (3) Eph. iii. 17; Rom. v. 5; 1 Joan. iv. 16.

nostram comitem potius quam ducem, et pedessequam magis esse, quam præviam.

Secunda obiectio sumitur ex verbis ejusdem Augustini, qui dicere videtur, Pelagianorum sententiam fuisse, necessariam esse gratiam habitalem, per quam evehantur homines ad statum filiorum Dei: nam lib. 1. de peccatorum meritis et remissis. cap. 18. sic loquitur: « Sed illi (Pelagiani videlicet) movent, et aliquid consideratione ac discussione dignum videntur adferre, qui dicunt, parvulus recenti vita editis visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere Baptismum, sed ut spirituales procreationem non habentes, creantur in Christo, ipsius regni celorum participes, fiant eo modo filii et hæredes Dei, cohæredes autem Christi. » Quam sententiam Pelagianorum refert idem Augustinus lib. 11. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 6. et lib. 14. cap. 2. et in lib. de hæresibus cap. 88. refellit autem eam sententiam lib. 11. in Julian. cap. 4. ubi dicit, nullam esse causam cur infantes excludantur a regno Dei, si nullum habent peccatum, quamvis non regenerentur in Christo.

Respondeo, nusquam ab Augustino reprehendi Pelagianos, quod regenerationem et adoptionem filiorum Dei parvulis necessariam esse dicerent ad regnum celorum obtinendum, sed quod negarent necessariam etiam esse ad peccatum originale purgandum. Pelagiani siquidem tum in parvulis, tum in adultis gratiæ necessitatem aliquam non negabant, sed non integre et perfecte, ut oportebat veritatem confitebantur, agnoscebant in parvulis gratiam adoptionis; gratiam remissionis peccati originis non agnoscebant, fatebantur adultis necessariam esse gratiam remissionis peccatorum; gratiam quæ naturam sanaret, et in bonis operibus faciendis, peccatisque vitandis juvaret, minime fatebantur.

Quod autem Augustinus non reprehendat Pelagianos, quod attinet ad necessitatem Baptismi in parvulis propter regnum celorum, perspicuum est ex illis verbis lib. 11. contra Julian. cap. 4. « Agimus gratias, quia non hoc putatis: non enim ad regnum Dei natos, nisi perfundantur, id est, baptizentur, admittitis, atque ita perfundi multo melius judicatis, quam nasci. » Et ex illis in eodem capite: « Enumera quæ fides vera non dubitet Christiana, in quibus ea commemoramus, quæ pene omnia prædicamus et nos. »

Et in lib. 11. contra duas epist. Pelagian. cap. 6: « Si parvulos, inquit, Pelagianos alloquens, negatis attrahere, quod in Baptismo remittatur originale peccatum, tamen in illo regenerationis lavacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis. » Non igitur hanc adoptionem et exaltationem naturæ humanæ per Christum Augustinus in Pelagianorum sententia reprehendit.

Quid igitur, inquires, sibi vult, cum lib. 11. in Julian. cap. 4. absurdum putat, si parvuli non baptizati excludantur a regno, si juxta Pelagianorum sententiam nullum habeant originale peccatum? Respondeo, non judicari absurdum ab Augustino, si parvuli non adoptari in filios Dei, quamvis omni peccato carentes, excludantur a regno; sed si non adoptentur, cum nulla sua culpa meruerint excludi ab adoptione, et per hoc a regno; præsertim cum alii permulti sine ullis suis meritis gratiam adoptionis et participationem regni coelestis acquirant. Nunc enim cum quaeritur, cur ex parvulis alios Deus per Baptismum ad regnum celorum adducat, alios sine Baptismo mori, et a regno excludi permittat; respondere solemus, ut in illis misericordiam, in istis justitiam suam demonstret. At si nulla sint peccata, mirum profecto erit, si Deus infantes aliquos innocentes atque ad imaginem suam creatos, nolit in regno suo, atque ut eos ibi non habeat, sine Baptismo interire sinat, cum alios item infantes, et similiter innocentes per Baptismum adoptet in filios, et in regnum suum perducant non sine dolore aliorum, qui excluduntur.

Hanc esse B. Augustini sententiam, perspicuum est ex verbis ejus; sic enim loquitur lib. 11. in Julianum cap. 4. respondens ad verba Juliani, qui dixerat, Deum infantibus nihil boni, vel mali merentibus regenerationis gratiam tribuisse: « Quid, inquit, eum offenderunt, quos pariter innocentes, munda, a se ad imaginem suam creatos innumerales ab isto munere (regenerationis videlicet) alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis prævenit beneficii largitate, separans tot imagines suas a regno suo: si hoc eis non erit malum, non ergo amabant regnum Dei, tot innocentes imagines Dei: si autem amabant, et tantum amabant, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipsa separatione patientur? Postremo ubilibet sint, quomodolibet sint, sub Deo iudice, qui nec fato premitur, nec per-

sonarum acceptione corrumpitur, in illius regni felicitate non erunt, ubi erunt qui pariter nihil boni, malive meruerunt, sed si nihil meruissent mali, nunquam privarentur in communi causa communione tanti boni.

Aliæ nonnullæ objectiones solvendæ essent; sed hæc proprie pertinent ad questionem illam, utrum justificemur per imputationem justitiæ Christi, an per justitiam nobis inherentem; et ad illam, utrum ad meritum vite æternæ requiratur, ut opus procedat ex habitu gratiæ gratum facientis, an satis sit, ut opus sit conforme legi Dei. Itaque in his locis, objectiones cæteras, Deo juvante, diluamus.

CAPUT VI.

Gratiam gratum facientem re non distingui ab habitu charitatis.

Alteræ quæstio superest, utrum habitus gratiæ, de quo hactenus disseruimus, sit idem cum habitu charitatis. Quæ controversia, cum ad fidem Catholicam non pertineat, inter ipsos Catholicos Doctores, salva fide, disputari solet: sed mihi ea de causa tractanda fuit, ut intelligatur in controversiis consequentibus quid per habitum gratiæ gratum facientis intelligi velim.

Igitur quatuor sunt apud Theologos de hæc quæstione sententiæ. Quidam enim volunt, gratiam gratum facientem esse habitum, re et ratione a charitate distinctum, et gratiam quidem in ipsa animæ substantia, tanquam in subjecto sedem habere, charitatem in voluntate. Existimant enim ita se habere gratiam ad virtutes infusas, quemadmodum se habet anima ad suas potentias, et sicut anima dat esse naturale corpori, ex ipsa autem potentia fluunt, quæ sunt actionum instrumenta. Sic etiam gratiam dare animæ esse quoddam supernaturale, ex ipsa vero quodammodo fluere habitus virtutum infusarum, qui sint principia proxima operationis supernaturalis. Ita docet S. Thomas in 1. 2. quæst. 110. art. 3. et 4. et q. 27. de verit. art. 2. in 2. Sentent. dist. 26. quæst. 1. artic. 3. et lib. 11. contra Gentes cap. 150. Eadem est sententia Capreoli in comment. lib. 11. Sentent. Cajet. in comment. ad 1. 2. Ferrar. in explic. librorum contra Gentes, Dominici a Soto lib. 11. de nat. et grat. cap. 47. et 48. et aliorum.

Alii distinctionem inter gratiam et charitatem, non realem, sed formalem constituunt, ut Alexander Alensis in Summa Theologica part. 3. quæst. 69. mem. 2. art. 4. Albertus Magnus in 2. Sentent. dist. 26. art. 3. et fortasse S. Bonaventura in 2. Sentent. dist. 26. quæst. 3. et in 3. dist. 27. art. 1. quæst. 3. is enim non satis explicat, an velit re ipsa, an solum formaliter distinguere gratiam a charitate; in eo tamen aperte dissidet a S. Thoma, quod tum gratiam, tum charitatem in voluntate constituit.

Alii gratiam et charitatem neque re ipsa, neque formaliter, sed tantum ratione distinguunt. Docent enim unum atque eundem habitum, qua parte subjectum respicit, atque hominem ipsum, in quo inest, exornat, Deoque gratum et amabilem reddit, gratiam nominari; qua parte respicit opus, et voluntatem promptam efficit ad Deum super omnia diligendum, dici proprie charitatem. Hæc sententia est Alexandri Alensis, qui forte mutavit opinionem in Summa Theologica, quæstio. 12. de penitentia, memb. 3. Richardi in 2. Sentent. distinct. 26. quæst. 4. item Scoti, Mayronis, Gabriels, Majoris, et aliorum in eandem distinctionem, Henrici a Gandavo quod lib. 4. quæst. 40. et ex recentioribus Andree Vegæ lib. 11. in Concil. Tridentin. cap. 23. et duobus sequentibus.

Alii denique nihil omnino interesse volunt inter gratiam et charitatem, soloque nomine distinguere affirmant, ita Durand. in 2. dist. 26. quæst. 1. num. 8.

Quamvis autem duæ priores sententiæ, et quæ quæ probabiles sint, et auctores insignes ac doctissimos habeant; tertia tamen probabilior mihi esse videtur, et cum Scripturis, et Patribus, et cum ipso Tridentino Concilio magis congruere.

Et quidem sententia quarta Durandi satis refelli videtur: tum auctoritate omnium aliorum Theologorum, qui distinctionem aliquam inter charitatem et gratiam agnoverunt; tum etiam quia si gratia facit hominem Deo dilectum, et charitas facit eundem dilectorem Dei, ut communis conceptio, et nomina ipsa testantur; profecto aliquid interest inter charitatem et gratiam; neque verum est quod scribit Durandus, fieri hominem Deo per gratiam gratum, per charitatem eorum et ideo non magis esse distincta charitatem et gratiam, quam esse eorum et gratum. Nam si proprie loqui velimus, per charitatem quam quisque in se habet, non est alteri ca-

mus, sed habet alterum earum; est enim charitas virtus, qua diligimus, non qua diligimur; quamvis possit ipsa esse ratio, cur ab altero diligamur: amor enim amorem maxime provocat. Quare gratia, qua sumus Deo cari, sive grati, distinguitur saltem ratione a charitate, qua Deum habemus earum. Priores autem illae sententiae, quae distinctionem realem aut formalem inter gratiam et charitatem ponebant, his argumentis refelluntur.

Primo, Concilium Tridentinum, tametsi non voluit, questionem istam, ut quae ad fidem non pertineat, definire; tamen satis aperte indicasse videtur, cui sententiae magis faveret. Nam sess. 6. cap. 7. ubi proprie de hac re agit, simpliciter affirmat unicam esse formalem causam justificationis, eamque in charitate consistere: « Demum, inquit, unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit etc. » Et paulo post explicans quid sit illa justitia: « Quamquam, inquit, nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur; id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhaeret. Unde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum, cui inseritur, fides, spes et charitatem; nam fides nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. » Et paulo post, hanc fidem vivam, id est, cum spe et charitate conjunctam, esse dicit id, quod ex traditione Apostolica petunt catechumeni ab Ecclesia, cum petunt fidem vitam aeternam praestantem. Et mox adjungit hanc ipsam fidem vivam esse veram et Christianam justitiam, quam cum primam stolam per Adam peccatum amissam, et per Christi obedientiam recuperatam, candidam et immaculatam jubenter renati conservare.

At certe si gratia justificans a virtutum Theologicarum habitibus distingueretur, jure Concilium reprehendi posset, quod hoc loco nullam de istiusmodi gratia mentionem fecisset. An non esset imperfecta et mancant Concilii doctrina, si in explicatione justificationis illud omisisset, quod est in justificatione praecipuum? Adde quod cap. 10. idem Concilium docet, justitiae incrementum

ab Ecclesia postulari, cum ita orat: « Da nobis Domine fidei, spei et charitatis augmentum ».

Alterum argumentum sumitur a doctrina veterum Patrum, qui perpetuo justitiam, qua coram Deo justificamur, eique grati, atque accepti sumus, in virtute, ac praesertim in charitate constituunt. Augustinus libro de natura et gratia cap. 42: « Charitas, inquit, est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia. » Et in Psalm. 118, concione 26: « Justitia, inquit, virtus est magna animi, praecipueque laudabilis. » Et mox exponens illud: « Feci judicium et justitiam, Justitiae, inquit, nomine, hoc loco non ipsa virtus, sed opus ejus significatum est, quis enim fecit in homine justitiam, nisi qui justificat impium, hoc est, per gratiam ex impio facit justum? Unde ait Apostolus, justificati gratis per gratiam ipsius. Facit ergo justitiam, id est, opus justitiae, qui habet in se justitiam, id est, opus gratiae. »

Quo loco S. Augustinus aperissime docet, justitiam, qua justificamur a Deo, esse virtutem divinitus infusam, per quam operamur opera justa; proinde non vult esse habitum aliquem in essentia animae, qui nihil operetur, sed habitum virtutis in potentia operatrice. Vide praeterea testimonia veterum, quae citavimus in libro de statu innocentiae, cap. 2. ad explicandum discrimen inter imaginem et similitudinem Dei. Docent enim ea testimonia conditum fuisse hominem ad imaginem et similitudinem Dei, et imaginem in natura, similitudinem in probitate et justitia sitam esse: per justitiam autem virtutes, ac potissimum charitatem intelligi oportere, non dubium est.

Tertium argumentum peti potest ex divinis litteris, in quibus videmus ea omnia tribui charitati, quae ab auctoribus contrariae sententiae tribuuntur gratiae, non solum absolute sed etiam eam distingui, ut ipsi docent, a charitate. Profecto autem si in charitatem, secundum Scripturas, conveniunt ea omnia, quae soli gratiae jure tribui solent, alterum necesse est, vel in Scripturis falsam doctrinam, quod fieri non potest, contineri, vel quod nos contendimus, gratiam a charitate aut nullo modo, aut sola ratione distingui.

Gratiae proprium esse volunt, ut a charitate ipsorum opinione distinguitur, dare animae quoddam esse supernaturale, ex quo dicatur homo filius Dei per participationem et divinae consors naturae. Id vero totum

Scriptura apertissime tribuit charitati, I. Joan. III: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Et cap. IV: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est (1).*

Praeterea tunc accipit homo illud esse supernaturale cum regeneratur ac renascitur, novaque efficitur creatura. Id autem fieri per charitatem ex Scripturis, ita probatur: Semen ex quo regeneramur, est verbum Dei, I. Petri I: *Renati non ex semine corruptibili, sed ex incorruptibili per verbum Dei vivi (2).* Et Jacobi I: *Genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquid creaturae ejus (3).* Verbum autem proprie fidem in nobis gignit eamque vivam, quae per dilectionem operatur, ad Rom. X: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi (4).* Fides igitur viva, id est, cum charitate, est id, per quod renascimur, et proinde ipsa dat illud esse divinum et supernaturale, unde dicimur filii Dei.

Et confirmatur hoc ipsum ex illis Apostoli verbis ad Galat. III: *Omnes enim filii Dei estis per fidem (5).* Loqui autem B. Paulum de fide viva, perspicuum est ex cap. V. ubi cum dixisset: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, ex gratia excedistis (6),* subiungit explicans quid sit ista gratia, et quid faciat filios Dei: « Nam, inquit, in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed fides quae per dilectionem operatur. » Et cap. VI. hanc ipsam fidem vivam appellat novam creaturam, cum ait: *In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed nova creatura.* De qua nova creatura dicit idem Apostolus ad Ephes. II: *Ipsi enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis (7).*

Et confirmatur rursus ex parte eorum, qui nos regenerant, qui sunt Evangelii predicatorum, I ad Corinth. IV: *Per Evangelium ego vos genui;* ad Gal. IV: *Filioli mei, quos iterum partorio, donec formetur Christus in vobis.* Christus autem in nobis per fidem formatur et habitat, ad Ephes. III: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris (8).* Fidem autem istam debere esse vivam et charitate formatam dubium esse non potest. Quare S. Joan. I. epist. cap. IV. dicit, Deum per charitatem in nobis manere: *Deus charitas est,*

et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (9).

Sunt praeterea multa alia, quae tribui solent gratiae, quae omnia in Scripturis tribuuntur charitati. Neque aliquid afferri potest illa gratiae proprium, ut non conveniat etiam charitati; quare nulla est causa, cur distincti habitus ponantur gratiae et charitatis, percurramus breviter singula.

Primo, gratiae proprium esse dicunt, facere hominem Deo dilectum, at Proverbiorum VIII. legimus: *Ego diligentes me diligo.* Et Joan. XIV. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo (10).*

Secundo, gratia dicitur esse animae vita, ut peccatum, mors; at I. Joannis III. legimus: *Qui non diligit, manet in morte; et nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres (11).*

Tertio, gratia donum illud esse dicitur, per quod in nobis habitat Spiritus sanctus. At Rom. V. legimus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (12).*

Quarto, per gratiam a peccato justificamur. At Lucae VII. legimus: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum (13).* Et jam antea ex Apostolo ad Galat. 6. ostendimus, novam creaturam esse fidem per dilectionem operantem, et ex Tridentino Concilio demonstravimus, formalem causam justificationis esse charitatem mentibus nostris infusam. Neque ullus est Theologus aut Philosophus, qui justitiae nomine aliud, quam virtutem, intelligat.

Quinto, gratia est fons et radix omnium virtutum. At Apostolus ad Roman. XIII: *Plenitudo, inquit, legis, est dilectio.* Et I ad Corinth. XIII: *Charitas, inquit, patiens est, benigna est etc. omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, etc. (14).* Et S. Gregorius homil. 27. in Evangelia dicit charitatem esse radicem omnium operum bonorum; et S. Prosper lib. 3. de vita contemplativa, c. 13. dicit, charitatem esse vitam virtutum, mortem vitiorum.

Sexto, gratia separat filios regni a filiis damnationis: nullus enim cum gratia perit, nullus sine gratia salvatur. At Jacobi I. legimus, coronam vitae repositam esse dili-

(1) I. Joan. III, 4; IV, 7. — (2) I. Pet. I, 23. — (3) Jacob. I, 18. — (4) Rom. X, 17. — (5) Gal. III, 7. — (6) Ibid. V, 4. — (7) Gal. VI, 15; Eph. II, 10. — (8) I. Corint. IV, 15; Eph. IV, 19; Eph. III, 17. — (9) I. Joan. IV, 8. — (10) Prov. VIII, 17; Joan. XIV, 23. — (11) Joan. III, 14. — (12) Rom. V, 5. — (13) Luc. VII, 47. — (14) Rom. XIII, 10; I. Corint. XIII, 4.

gentibus Deum. Et sanctus Augustinus lib. xv. de Trinit. cap. 18: «Sola charitas, inquit, dividit inter filios regni, et filios damnationis aeternae.»

Septimo, gratia est donum Dei omnium maximum. At Apostolus I. ad Corinth. xiii: anteponit charitatem omnibus aliis donis. Et ad Coloss. iii: *Super omnia*, inquit, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (1). Et S. Augustinus lib. xv. de Trin. cap. 18. «Nullum, inquit, est isto Dei dono excellentius: dantur et alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt.» Et serm. 50. de verbis Domini: «Adde; inquit, charitatem, prosunt omnia; detrahe charitatem, nihil prosunt cetera: quale bonum est charitas fratres? quid pretiosius, quid luminosius, quid firmitus, quid utilius, quid securius?»

Octavo, nihil majus gratia facere potest, quam conjungere hominem Deo. At I. ad Corinth. vi. legimus: *Qui adhæret Deo, videlicet per charitatem, unus spiritus fit cum eo* (2). Et I. Joan. iv. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (3). Id quod præclare explicat S. Bernardus serm. 83. super Cantica, ubi ostendit, nihil esse quod magis hominem Deo conjungat, quam charitatem, «qua», ut ipse loquitur, «quasi maritatur anima Deo.»

Nono, gratia facit amicos Deo. At Joan. xv. legimus: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* (4).

Decimo, gratia formosus gratiosus facit. At charitas est vestis illa nuptialis, qua qui carent, mittuntur in tenebras exteriores, ut exponit S. Gregor. homil. 38. atque hæc ex divinis litteris hoc loco sufficiant.

Accedant postremo argumenta ducta ex ratione. Prima ratio, si gratia ista distingueretur a charitate, cæterisque infusis virtutibus, quemadmodum distinguitur anima a potentiis, vel lumen rationis a virtutibus, ut S. Thom. docet, sequeretur amissa gratia per peccatum, simul amitti virtutes omnes infusas, sicut percunte anima, pereunt necessario ejus potentie, et sine lumine rationis nullæ omnino virtutes in anima conservantur; at fides infusa non perit gratia recedente, ut Catholici omnes fatentur; non igitur distinguitur, neque pendet fides a gratia gratum faciente, ut distinguuntur, ac pendet potentie ab anima, et virtutes a lumine rationis.

Neque vero satisfaciunt argumento, si quis dixerit, amissa gratia remanere quidem fidem, sed non perfectam et formatam, et hoc modo solum manere eam, ac dependere ab habitu gratiæ. Nam quamvis sine gratia fides imperfecta atque informis sit, est tamen habitus supernaturalis, et operationem habet supernaturalem; docuit autem S. Thomas, non posse esse in anima habitus supernaturales, et operationes supernaturales, nisi antea erecta esset eadem anima ad esse quoddam supernaturale per habitum gratiæ, cum operatio prærequirit esse.

Secunda ratio, si gratia esset habitus a charitate distinctus, id sine dubio esset propter tria quæ videntur esse propria ipsi gratiæ et charitati non convenire, quorum primum est, dare animæ esse divinum et supernaturale. Alterum esse proprium effectum amoris, erga hominem. Tertium esse id, quo proprie Deo gratias est, quicumque illi gratus est. At hæc ipsa tria apertissime quadrant in charitatem, non igitur opus est, alium habitum querere.

Probatur assumptio argumenti, nam quod attinet ad esse divinum, certum est, non posse hominem participare divinum esse, nisi accidentaliter; nullum est autem accidens, quo magis participemus esse divinum, quam charitas, ac ne ipsa quidem gratia si esset, ut ponitur a S. Thoma, ita nos eveheret ad esse divinum, ut re vera charitas veheret; gratia enim illa esset accidens ordinis supernaturalis, et daret animæ esse quoddam accidentarium supernaturale; at charitas præterquam quod est accidens ordinis supernaturalis, et dat animæ esse accidentarium supernaturale, conjungit animam cum Deo, quam intime atque ætè in hac vita fieri potest; quod non faceret gratia, Deus enim intelligentia et voluntate attingitur, sed intelligentia in hac vita non nisi per fidem, et in ænigmate Deum attingit; voluntas autem etiam in hac vita immediate, et proprie Deo conjungitur per amorem.

Adde quod cum summa perfectio in Deo sit cognitio et amor, in futura vita participabimus per gloriam, divinam perfectionem visionis Dei, de qua scribit Joannes in I. epist. cap. iii: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (5); nunc autem participamus per gratiam, perfectionem amoris Dei et proximi, de qua dicit Dominus Matth. v:

Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, etc. (1).

Quod attinet ad effectum proprium amoris Dei, ille profecto charitas est, quid enim vult nobis Deus, cum nos amat, nisi id quod nobis est optimum: optimum autem nobis charitas est, ut supra ex Apostolo et Augustino docuimus.

Quod autem pertinet ad tertium, de eo quo proprie Deo grati sumus; id vero nihil est aliud, nisi charitas, siquidem in ea consistit summa similitudo ad Deum, quam in hac vita possumus habere. Deus enim diligit sibi similes, et eo nos magis diligit quo sumus ei similiores. Atque hoc est verum amicitie fundamentum inter nos et Deum, amicitia siquidem oritur ex similitudine, cum omne simile diligit suum simile; Similitudo autem, quæ est fundamentum amicitie, non tam est similitudo naturæ, quam morum et virtutum; alioquin inter omnes homines esset amicitia, et inter Angelos et homines nulla esset. Porro charitas est regina virtutum, et omnibus aliis virtutibus longe præstat. Quare similitudo in charitate, est prima et summa causa amicitie inter nos et Deum.

Tertia ratio. Gratia proprie opponitur culpæ, sed culpa est actualis et habitualis deformitas in voluntate; igitur et gratia erit habitus et actus in voluntate.

Quarta ratio. Gratia respondet gloriæ, sed gloria non erit habitus aliquis in essentia animæ, ut adversus Henricum Theologi communiter docent, sed conjunctio cum Deo per visionem et amorem, igitur et gratia non est habitus aliquis in essentia animæ, sed fides, spes et charitas ipsius animæ potentiis divinitus infuse atque in illis inherentes.

Quinta ratio. Per gratiam formaliter justificamur, at justitia communi consensu Theologorum et Philosophorum, virtus animi est, et in voluntate, non in essentia animæ sedem habet.

CAPUT VII.

Solvuntur objectiones.

Adversus ea quæ capite superiore confirmata sunt, fieri solent non levia argumenta, quæ nunc breviter et ordine diluamus.

(1) Matth. V. 44.

Prima obiectio sumitur ex duobus Conciliis generalibus, siquidem in Concilio Vienneensi, sub Clemente V. ut habetur in Clementina prima, de summa Trinitate et fide Catholica definitum est, in Baptismo tam parvulis, quam adultis conferri informantem gratiam, et virtutes. Et in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. legimus, justificationem esse renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Et canone undecimo dicitur anathema fidei, qui docent, hominem justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate. In quibus locis videmus semper distingui gratiam a virtutibus et donis, atque adeo ab ipsa etiam charitate.

Respondeo, Concilia ista, ac præcipue Tridentinum, dedita opera ita loqui voluisse videntur, ut indefinitam relinquere questionem Scholasticam, de distinctione gratiæ a charitate, et solum definirent, quod ab hæreticis negabatur, nos justificari per aliquid re ipsa in anima inherens; ea siquidem causa fuit, cur Tridentinum Concilium, nunc gratiam et charitatem, nunc solam charitatem nominaret; sed quamvis hæc ita sint, tamen videntur omnino Concilii Patres in eam sententiam inclinasse, quæ pro eodem habet gratiam et charitatem. Nam, ut supra ostendimus, in explicatione causæ formalis justificationis, ubi maxime oportebat hujus distinctionis mentionem facere, solam nominaverunt charitatem, cum suis comitibus fide et spe.

Porro ubi Concilia ista distincte nominant gratiam et virtutes, vel gratiam et dona; aut per gratiam, intelligunt charitatem, per virtutes et dona, reliquas virtutes, ac si dixissent, gratiam et cæteras virtutes, sive gratiam et cætera dona; aut certe idem significant illæ voces, quemadmodum cum dicimus, aliquem esse sanctum et bonum, innocentem et justum etc. id quod in Scripturis sacris, et in Patrum libris passim fieri videmus ad rem, de qua agitur, magis explicandam.

Et hoc modo intelligendus est canon 11. Concilii Tridentini, ubi damnantur anathemate, qui excludunt a justificatione gratiam et charitatem, nam idem omnino significari eo loco per gratiam et charitatem, colligimus tum ex verbis sequentibus, ubi numero sin-

(1) Col. III, 14.—(2) I. Corinth. VI, 17.—(3) I. Joan. IV, 16.—(4) Joan. XV, 14.—(5) I. Joan. III, 2.